in Ukrania rerum omnium potestatem permisit. Quam provinciam paternae liberalitate serenissimus Rex Dominus meus consecutus, quod sanctae sedi istae deberet oblivisci non potuit, quod si facere Maiestati eius licuisset, ut ipse ad S. vram veniret, atque officio apud illam meo fungeretur, nihil erat, quod fecisset libentius, sed quoniam non erat tutum, in tam remotas terras ab ea provincia discedere, quae tot hostium latrocinijs, si quae alia vehementer est infesta me misit, qui nomine Mtis eius, debitam S. Vrae subjectionem, et eam, quam Patri debet Filius obedientiam deferrem. Te enim serenissimus Rex et Dominus meus verum et solum in terris Jesu Christi indubitatum Vicarium, et legitimum Divi Petri successorem agnoscit, te petram illam esse profitetur, super quam Ecclesiam suam Christus aedificavit quam nullae Tartarei Regni vires expugnare possint, Tibi traditas esse claves coelestis Regni confitetur, quarum potestate quicquid solveris super terram sit solutum in coelestis, quod alligaveris super terram sit alligatum in coelis. Ad tuos igitur beatos pedes provolvitur, illis in Christi persona pius osculum admovet, tibi se, tibi subiectos sibi populos, tibi late putat imperium suum, subjicit omnia, neque in alia se quam in ea quae nunc abs te regitur Petri navicula servari posse confidit. Extra quam nullam esse salutem tam corde persuasum habet, quam quod certissime unam hanc in qua tu nunc sedes Petri Cathedram agnoscit, cui qui junctus eum suum reputat, extra hanc vero domum cuius tu constitutus a Deo Paterfamilias es, quisquis agnum comederit eum prophanum indicat, In hac et pro hac domo et Eccle-

siae Dei